Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1241

Quelle:
Copyright:

rum alias Sancti ſtephani Wyenne tanquam *Executoris vnici* Brevis dati a *Bonifacio IX. Chunrado Amman de Chauf urn baccalario in decretis* ad conſequendum Beneficium *ſi cum cura viginti quinque, ſi uero ſine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti.* Literae hae diriguntur ad Epiſcopum *Patauienſem*, qui non nominatur; erat vero *Georgius I. Hohenlohicus*, et ad Capitulum. Notae chronologicae abſciſſae ſunt, ſed Breve *Bonifacii* inſertum datum eſt *anno Pontificatus primo*, id eſt, 1390. Cum igitur *Antonius* in munere Praepoſiti non niſi a. 1391. confirmatus fuerit, Literae ipſae ad hunc, vel ſequentem annum erunt referendae. Vide de eo *Specimen Hiſt. Cancellarior. Univ. Vien.* p. 44.

DXLIV.

U. 111 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 219. 4. currente calamo perſcriptus continet: I. Lecturam in *Librum III. Sententiarum Petri Lombardi* hoc initio: *Circa primam diſtinctionem 3ij queritur primo Vtrum dei filius in temporis plenitudine aſſumpſerit humanitatem in ſuppoſiti unitatem* &c.

II. *fol.* 178. p. 2. Excutitur Quaeſtio: *Utrum ſuper aliquo decalogi precepto poſſit fieri diſpenſacio. R. ſic. ſuper obſeruacione ſabbati de facto diſpenſatum eſt* &c.

III. *fol.* 185. *Incipiunt contradictiones ſancti Thome. In articulis ſubſcriptis contradixit ſibi frater thomas tam in ſumma quam in ſcriptis* (in Libros Sententiar.) *vnde frequenter videtur dicere contraria.* Referuntur dein Articuli. Memini obiter, ſimile quid me olim impreſſum vidiſſe titulo *Contrarietatum*, ni fallor, *S. Thomae.*

IV. *fol.* 188. *Articuli in quibus magiſter* (Sententiar. Petr. Lombardus) *non tenetur.* Etiam hi feruntur olim editi, addito ſubinde, non teneri a *Magiſtris Pariſienſibus.*

V. a *fol.* 189. ad finem Subplementa ad *Lecturam* ſupra indicatam, et alia Notata theologica, unde Codicem Profeſſoris cujusdam *Vien.* fuiſſe liquet. Non tamen convincit manus moderna, quae Thecae anticae inſcripſit: *Varia Notata D. Haſelpachij*, nullo argumento adlato.

DXLV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 469 Folior. 398. f. lineis longis luculente exaratus et rubricis diſtinctus continet I. *Quaeſtiones* fuſe tractatas in *Librum III. Sententiarum Petri Lombardi*, quarum prima: *Vtrum ſolius verbi perſona ſit humane nature perſonalis ſubſiſtentia?* et poſtrema: *Vtrum lex chriſti ewangelica et diuina a lege eterna determinata ſit eminenter continens omnem aliam legem ut perfecte vite regula mencium in deum directiua?* ad cujus calcem legitur: *Et ſic eſt finis tercij libri ſententiarum Deo gratias Anno &c.* (14) XXIII°.

II.